



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Tumulus Turpiliæ puellæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

Pontanus loquitur.

Nec patria profugus puer, exutusq; bonorum  
 Nella tibi aut tumulos, aut pia iusta dedi.  
 Nec pro blanditijs lacrimas, pro munere uitæ  
 Mortis dona tuo persolui cineri.  
 Nella uel affectus matris, uel munus obibas,  
 Nella mihi nutrix, Nellaq; mater eras.  
 Nunc procul a' patria senior iam, dona pheretri,  
 Et iusta, et cineri debita persoluo.  
 Aeternum mihi Nella uale, ac requiesce sepulcro,  
 Et ualeant cineres, et mihi mater uale.

CAECILIAE AVIAE PATER-  
nae. Pontanus loquitur.

Pax umbræ, requiesq; urnæ, quæ contegit umbras.  
 Tura adolete, sacri spargite fontis aquam.  
 Salve avia, aeternumq; uale. capte grata nepotis  
 Munera, nec lacrimas sperne, nec inferias.  
 Cæcilia et tibi sit tellus leuis, et fluat urna,  
 Ambrosia. Ambrosius stillet et usq; liquor.  
 Et tibi perpetuum spiret uer, seruet et urnam  
 Quam tu seruasti cum pietate fides.

## TVRPILIAE PVELLA E.

Casta fuit, formosa fuit, comisq; puella.  
 Turpiliæ uerum nomina iniqua tulit.

TVMVLORVM

Moribus ornauit nomen, raroq; pudore,  
Cum fuerit thalamu cindor honosq; tori.

CORVINAE, morose fœminæ.

Hic posita est Coruina, suo attumulata marito,  
In tumulo et thalamo litigiosa cohors.  
An' ne cohors ubi uir iaceat cum coniuge solus?  
Ille suæ consors coniugis, illa sui?  
Dum clamat, dumq; inclamant, dum stridet uterq;  
Hic boat, illa ululat, fit tibi plena cohors.  
Iam strepitant. irata cohors iam currit ad arma.  
Clamor ad astra uolat, telaq; truncæ sonant.  
Non litem sed bella putes. iam fragmina tundunt  
Marmora. iam tumulo saxa rotata crepant.  
Heu clamat Coruina, gemi percussus Homaster  
Pæona de Stygijs ite ciete uadis.  
Sed nec Pæone opus. docti sua vulnera current.  
Vos fomenta pijs fundite pro lacrimis.

CERBERI hominis furacissimi.

Cerberus hic situs est. latrat sed ad hostia nullus,  
Scilicet inditio ne sit, id ipse timet.  
Fur erat, & furtis uitam ducebat. at illum  
Deuorat in tenebris, improba turba canum.  
Umbra petit manes, quam Cerberus ore trifauci  
Deuorat, haud Stygias passus inire domos.  
Furibus hæc poena est. furti reus hostia Ditis  
Non intret, rabido præda sit ille cani.

MIELLÆ puellæ in adulterio occisæ.